

Ipsius etiam monasterii cognomento Rivi pollentis inclitus abbas nomine Oliba, non minima circa hunc Dei famulum dilectione versabatur, quę spiritualis eorum familiaritas in tantum exuberaverat, ut quos longa terrarum sequestrabant interstitia, divini amoris coniungeret presentia¹⁾.

43. Etiam a transmarinarum partibus regionum, loco Ramegisus²⁾ nuncupato, illi divicię plurimarum advehebantur opum; inter quę episcopalis benedictionis liber, primordia omnium aurata gestans versuum, cuius loci situm³⁾ tali indiculo nobis habetur compertum, dictante venerabili Abbone abbate et martire:

O Ramesiga cohors. amplis quam³⁾ claudere stagnis,

Purior obrizo niteris esse Deo.

Vasta palus, piscosa nimis, sua dindima pandit,

Ut nova sint heremi claustra reperta tibi.

Nam qua corviferę consurgit proditor hydrę,

Insula silvoso gurgite pulchra nitet,

Et qua splendentis se mergunt lora Bootis,

Pons est inde suis pervius Angligenis.

Qua Cynosura poli fixum regit undique girum,

Angillosa palus nescit habere modum.

Unde refert umbras vaga lux Phebea sinistras,

Terra patet nullo continuata vado.

Huc me sorte dedi ignotis ignotus alumnis

Quos, Benedicte pater, iure tuere pares⁴⁾.

44. Istis etiam diebus⁵⁾, anno ab incarnatione domini millesimo vicesimo secundo, Rotberti vero regis XXX^o V^o, Hugonis etiam filii eius VI^{to}, in anniversario ipsius nativitatis domini, audita est nefandissima heresis sanctę aeccliesię catholiceę contraria omnimodis. Erant namque in civitate Aurelianensi quidam clericalis ordinis a puero in sancta religione educati, tam divinis quam secularibus imbuti litteris, horum alii presbiteri, alii diacones, alii subdiacones, pessimum suę perditionis lupum sub ovina pelle portantes, quorum princeps erat Stephanus cum Lisdio⁶⁾ seminarium diaboli et multorum perditio. Cum vero veritas dicat: 'nihil opertum, quod non reveletur, et occultum, quod non sciatur'⁷⁾, revelavit et historum falsas insanas heresiarcharum⁸⁾, quę huiusmodi erant: Trinitatem in unitate mentiebantur se credere, filiumque Dei carnem sumpsisse; baptizatos autem negabant et spiritum sanctum in baptismo non posse suscipere, aut post criminale peccatum aliquem ullo modo ad veniam redire; pro nihilo computabant imposi-

1) Ihre Correspondenz: Marca hispan. 1025. 1026 (Delisle). 2) Das englische Kloster Ramsey in der Grafschaft Huntingdon (Delisle).

3) So die Hs. 4) Voranstehende Verse: Mabillon, Ann. IV, 688 (Delisle).

5) Von hier an stimmt dieses cap. mit den Miraculis des Andreas VI, 20, ed. Certain, p. 246, wörtlich überein. Vergl. auch Bouquet, X, 211, D. 212. A. 6) Miracula: Lisoio et Fulcherio.

7) Matth. X, 26. 8) Hs.: heresiarcum; Miracula: haeresum.